



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Marinus M. 26. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

dixit, ut ad oculorum verborumque fulmina attoniti omnes hærerent, jamque non in hominem pugnare se, sed Angelum crederent. STEPHANVS hoc acrius vietiis instare, tunc præsertim, cùm ad spectaculū cælo se effundente, virtutis arbitrum ponè dextram Patris stantem CHRISTVM habere se vidit. Itaque cùm urbe exturbatus saxis obrueretur, in genua subsidens egregius triarius fortissimè omnia exceptit; Deo identidem nunc se, nunc hostes suos commendans. Et licet horum causa pessima esset, tam bono tamen patrono perorante, veniam impetravit Saulus, non ita multò post CHRISTO conciliandus, & in Paulum mutandus. Tam verum jam tunc fuit, Martyrum sanguinem Christianorum semen esse. Ex Act. Ap.

Etiam nos exemplo S. Stephani pro Domino pugnare non pigeat. Indicta nobis est pugnandi necessitas. Implicabiles sunt adversarii nostri, contra quos spiritualia arma sumenda. Corde certandum est, & corde vincendum. Laur. Justin. serm. de S. Steph.

S. MARINUS M. 26. Decembris.

A Ge Sparta, & vel omne juventæ tuæ robur, cum unius adolescentis MARINI fortitudine compone. Hic Romanus, & patricius, flagra tamen ecce concoquit. Catenas ut torques induit. Carceri ut palatio arridet. Suspensus ab equuleo despicit tyrannum. In lacero uncis corpusculo animum jactat non saucium. Serrâ ligneâ secundus gaudet geminus pugnare. In crate velut thoro accumbit. Ignis ubi subjicitur, flamas Hercules invitat. Dum plumbum superfunditur liquatum, blanditiæ probat. Dum in sartaginem immittitur flammantem, laudat delicias. Arboris ramis

ramis distrahit evadit Milone fortior puer. Jam ad feras damnatus, ecce colludit his, & pardus pedes veneratur linguâ blandâ; manus tigris exosculatur; collum leo blandus amplectitur. Sed à feris in succensam fornacem ducitur inter Angelorum comitatum. Scilicet post binos dies aurum exit. Denique ad gladium vocatur. Sed tu crederes ad præmia invitari. Quid: quod mortuus perrexit tyrannum fatigare. Custodes enim corpori additos fulmine fugavit, dum terræ hoc Theophilus quidem mandaret; & Martianus judex à partu suo (vermibus) periit corrosus, in-honestum, sed vivum tamen nactus sepulchrum.
Ex Mart. Rom. Pet. de Natal. & Ferrar.

Gravis est nobis inimici tentatio, sed longè gravior illi nostra oratio: ledit nos iniquitas ejus & versutia, sed multò magis nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostrâ, obedientiâ cruciatur. S. Bern. serm. 3. de Dedic.

SS. INDES & DOMNA MM.

26. Decembris.

DOMNA superstitionis in aulâ Maximiani Imp. summa Antistita, dum quæ fortiter egerunt Apostoli, legit, & aures Christianæ dat Virgini, sacrificare rectius Christo discit, & jam semet parat immolare. Tam sancti propositi socius, qui illi à cubiculis erat, INDES est factus. Cum hoc primò omnium aurum & argentum in manibus miserorum occultat. Tum cibos, quos quotidie Imperator lautissimos submittebat, ad eosdem transmittit, ipsa cibario pane & aquâ famem sitimque martyrii accendit. Ea res cum aulam omnem